



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTITV=||TIONVM IVRIS CA-||NONICI LIBRI|| QVATVOR.||

Cucchi, Marco Antonio

Coloniae, 1564

VD16 ZV 4150

Officio Sacristæ, & Custodis. xix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62908)

lebit, eorum commissā Episcopo rete-
get. Basilicarum ipse ponet custodes,
& tabulam (quam matriculam vocant) *b c. perlea*
ipse disponet. eo autem absente hæc *etis. §. ad*
curabit, qui illi lege, vel eruditione *primiceriū.*
proximus fuerit. *b xxxv. dist.*

De Officio Sacristæ, & Custodis.

Tit. XIX.

Sacrista, seu (quod idem est) The-
saurarius, sacra vasa, ecclesiasticas
vestes, & totum ecclesiasticum the-
saurum quæque ad luminaria, seu ce-
rea, seu oleo madentia, pertinent, cu- *a d. c. perlea*
stodire tenetur. *a* ipse ostiarium Basili- *lectis. §. ad*
carum constituit: thus incendendum *thesaura-*
præparat, curam chrismatis suscipit *riū c. i. exa*
conficiendi, & baptisterij instruendi, *tra eodem.*
& luminarium in sacrario, & sacrifi-
cijs præparandorum. *b* subest autem *b d. c. ad*
(vt supra diximus) Archidiacono. Cu- *primiceriū.*
stos verò ecclesiæ is dicitur, cui ea,
quæ ecclesiæ competunt, custodien-
da traduntur. &, cum multa ad eum
spectent, quæ ex sacristæ officio iux-
ta diuersam consuetudinem viden-
tur esse, inferior tamen custos est Sa-
crista. Et hæc propria ipsius sunt mu-
nera, vt horarum canonicarum signa

84 INSTIT. IVR. CANO.

det tintinnabulorum pulsatione Archidiacono iubente, cui cum subfit, omnibus parere tenetur. Palia, vel linthea altaris, omniaque Ecclesiae utensilia perpetua custodia seruare debet accendendis, vel extinguendis lampadibus vigilem se præbere, ne aut supermodum ardentes nimium olei absorbant, aut minus illucetes obscuriorem ecclesiam relinquant. Diligenter etiam curet, ne thuris vnquam sit inopia; atque vt panis & vini ad missæ sacrificium omni tempore copia suppetat, omnesque oblationes, & eleemosinas, seu decimas Archidiacono cõsentiente (dum Episcopus abest) fratribus diuidat.

At si his exequendis custos minus vigilem se præstiterit, erit ab Archidiacono obiurgandus, vt se vltro ipse corrigere velit, sin nihil Archidiaconi castigatio profuerit, Episcopus ab Archidiacono monitus, alio in locum eius substituto eum exturbabit.

Hi ergo tres, de quibus proxime diximus, triumviri sunt, quibus tanquam tribus validissimis columnis fulcitur ecclesia, ipsiusque nititur salus. Archidiaconus, Archipresbyter, & Custos. Quare nemo nisi optimus, idemque vigilan-

gilantissimus ad hæc officia est admit-
tendus, ne qua negligentia, aut soccor^k *Tot.ti.*
dia in Dei Ecclesia notari possit.^k *extra.co.*

De officio Vtriusq; Vicarij.

Tit. XX.

Cum frequenter eueniat Clericos
necessarijs causis impeditos non
posse officijs suis, tam in diuinis cele-
brandis ministerijs, quam in iure dicen-
do superesse: Idcirco permittūt leges,
vt, cum id euenit, liceat eis aliorū ope-
ra vtī, & sibi legere viros idoneos, qui-
bus tutò possint vices suas mandare,
quos propterea vicarios appellant.

Hi vero (vt diximus) vel ad diuina
ministeria celebranda constituuntur,
vel ad Iurisdictionem exercendam. a *gloss.in*
nam & si parocham ecclesiam habentes
non per vicarium, sed per seipso il-
li deferuire teneantur in ordine, quem
ipsius Ecclesiæ qualitas requirit: tamen
quia fieri potest, vt parocha Ecclesia,
quam habent, dignitati, vel præbendæ
Ecclesiæ maioris sit annexa: id vbi ac-
cidit, licebit ei, qui talē habuerit præ-
bendam, vel dignitatem (cum eximiam
eam habere debeat, & oporteat in pri-
mis maiori Ecclesiæ deferuire) vicariū

D 7 perpe-